Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 17
Quelle:
Copyright:

ſignatio, et auri absque coloribus impoſitio comparet; deinceps ſola pingendorum ſpatia, paucis exceptis, relicta ſunt. Libri ſacri conſuetis *Hieronymi* Prologis inſtructi ordine ſolito procedunt. Adeſt *Liber III. Esdrae* apocryphus. *Pſalmis* adſcriptus eſt ſpurius ille: *Puſillus eram inter fratres meos* &c. *Machabaeis* praefatur, ut paſſim, *Rabanus*. Epiſtolae *Paulinae* praecedunt *Actus* Apoſt. Teſtimonium triplex. I. *Joh.* C. 5. ita a prima manu legitur: *Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in celo, pater uerbum et ſpiritus ſanctus. Et hij tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus aqua et ſanguis.*

Tabulae poſticae adglutinatum eſt Exemplum Excommunicationis latae ab Archiepiſcopo *Spalatenſi* in Epiſcopum Tynienſem, ſeu Tinninienſem; utriusque tamen abſciſſa ſunt nomina. Datum eſt: *in Archepiſcopali Palacio Spaleti anno domini M^mo. CCC^mo. LXXIII. Indictione vndecima die menſſ. februarij prima, Pontificatus domini noſtri domini Gregorij diuina prouidentia pape vndecimi anno tercio preſentibus — fratre Coſmo Sportia gardiano Sybenicen. et presbitero Radoſio canonico Spalaten.* Notarius *Stephanus filius quondam bernardi de Tyzconibus de laude Canonicus Tragurien.* Teſtes *Joſeph prepoſitus demeſien. Mathias Wolfhardi et Vlricus de Taſſaw Canonici Poſonien. Strigonien. dyoc.* Item Notarius cum Signo *Laurencius quondam Nicolai de Cluſenburg Clericus Transſiluan. dyoc.* Ex *Illyrici Sacri Dan. Farlati* T. III. p. 325. video *Hugolinum de Branca* ſeu *Mala Branca* praedicto anno *Spalatinas* infulas geſſiſſe; e T. vero IV. p. 292. *Tinninienſem* Epiſcopum fuiſſe *Paullum*. Neutro tamen loco quidquam de noſtro negotio *Albertum* quendam a dicto Epiſcopo et ejus adſeclis exagitatum fuiſſe injuriis, e Decreto mutilato colligi poteſt.

XI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 430. f. per duas columnas minutius exaratus, coloribus diſtinctus, et prius Bibliothecae Epiſcopatus *Neoſtadienſis*, ad quam unde delatus ſit, inferius dicam, continet S. *Biblia* integra e vulgata Interpretatione, ordine ſolenni, Prologis *Hieronymianis* et notis Argumentis inſtructa. *Pentateucho* Notulas et variam ex Hebraeo, LXX. *Symmacho* et *Theodotione* Lectionem, partim a prima manu, adſperſam habent. *Paralipomenωn Libro* II. praefatur *Hieronymus ad Domnionem et Rogatianum. Quomodo grecorum hiſtorias* &c. Adeſt *Liber III. Esdrae* inſcriptus *Secundus*, quoniam praecedens *Nehemiae* tributus eſt. *Machabaei* Praefationes *Rabani* ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Archidiaconum habent. Epiſtolam *Pauli ad Coloſſ.* absque Argumento ſequitur *epiſtola laodicencium*. Teſtimonium triplex I. *Joh.* c. 5. ita extat: *Quia tres* R. 2227

ſunt